



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]

Baldi, Camillo

[Bononiae], 1629

Passionum secundum substantiam, & quantitatem in existentium causæ.
[Cap. VIII.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-13286

ponit nutrimentum, & cuius quædam partes sunt crassiores, & ficciores quædam minus; à crassioribus, cum extra ficciores fiant, nascuntur nodi, & suprædicta inæqualitas. Hæc & eius modi passiones ac diuersitates figurarum generat natura tendinis, secundum quod illa diuersimode est affecta. Cadit etiam diuersitas in potentias vnguium, per quas faciunt suas naturales operationes; si enim potenter exercent suum opus, robustos arguunt tendines & horum tendinum robore suam potentiam firmant; Quod si flacidi, & debiles fuerint digitorum tendines paucum erit indigitis robur, & munus suum male exercent vngues, qui ab his principium sumunt; Hæc omnia per visum cognoscuntur, vel saltem non sine visu; Et ab operationibus ad eorundem potentias cognoscendas peruenimus; Quæ igitur sint, quæ per oculos cognoscuntur passiones, & propter quid sint ex his patere arbitror.

Passionum secundum quantitatem, & substantiam in existentium causa. Cap. V I I I.

Cognoscit etiam visus quantitatem, siue illa sit cõtina, siue discreta, & enim hæc ex communibus sensibilibus; discretum est corpus, cuius partes dissitæ sunt, continuum, cuius consistat; & coniunctæ reperiuntur; Magni vngues secundum longitudinem, & latitudinem à magnis tendinibus nascuntur, etiam magna ossa, arguunt; quare & robustum quidem corpus, sed non admodum agile, quinimò segne & iners; ex aduerso parui vngues paruitatem demonstrant tendinum, à quibus tales causantur, sic enim ab effectu, ad causæ notionem peruenimus; longi, & stricti à debili procedunt tendine, & aliquanto magis sicco, quam oporteret; stringens enim frigus debilem, & mollem tendinem longumque facit, & strictum; latus magis quam extensus, & longus eandem habet causam nempe tendinis latitudinem, & propter hoc etiam quorum tales sunt vngues, & tendi-

DE VNGVIVM PRAESAGIIS. 15

tendines, non admodum sunt robusti, sed molles, & qui diu brachia, & manus mouere non possint; fissos naturaliter facit vngues tendinis siccitas, & crassities, videmus enim crassiora ligna cum siccantur plerunque findi, & spinalis medulla quo fit sicciior, eo in plures, & tenuiores finditur nervos, qui funiculos imitantur, quod si naturalis aderit humor, clarum est, quod continui apparebunt, humido enim heterogenea continuari, & partes simul adiungi perspicuum est. Restat vt ad eas quæ cognoscit tactus, quæque vocantur a Medicis esse in substantia rei, deueniamus; præter quatuor primas qualitates, tangibiles, quas dicit Aristoteles elementorum, & mixtorum quæ sunt, apud nos, esse principia, sequuntur quæ ex his nascuntur secundæ qualitates, & inter has primæ partes dantur, duro, & molli; Durum ad siccitatem referunt, molle ad humiditatem. Durum dicitur quod difficulter secari, ac diuidi potest, & quod tangenti non cedit, vt marmor, & ferrum; Molle autem, quod tangenti cedit, & facile diuidi potest. Duri igitur vngues duritiem, & soliditatem tendinum à quibus nascuntur arguunt, quare & robusti sunt, & robur etiã manus indicant. Talem fuisse Adrianum Imperatorem probabile est, qui digito mala, & pira quantumuis dura, & in matura perterebrabat. Tales erant etiam Massimini vngues, qui sui temporis robustissimi: miles poterat currentes equos, & rhedam sistere, & equum in medio cursu per caudam apprensam tenere; Ex aduerso molles tendinum mollitiem, & virium infirmitatem notant, quare in mulieribus delicatis, vt plurimum tales existunt vngues; & quoniam eorum tendines multum humoris continent, ideo lucidi, & eburnei spectantur, & quoniam molles, & lucidi, etiam tenues, sunt, & propter tenuitatem diaphani, & transparentes existunt; & quoniam tenues ideo flexibiles, quare neque facile franguntur, cui enim mixto inest multus humor, illud & flectitur, & non facile frangitur, quod in ramis salignis viridibus facillime conspicimus. Et quoniam oppositorum contingit opposi-

tus

tus esse causas, & differentias crassi, & densi vngues, & obscuro oppositam arguunt tendinum dispositionem, opacitas, & obscuritas, & pallor indicant multum atrabilis, & terræ in tendine prædominari, quare & inflexibilis est vnguis, & crassus, & densus, passiones etenim hæ sunt, quæ in mixtis à terra, aut ab eo, quod terræ proportionatum est, inferuntur. Quæ autem fiunt à natura, si eadem sunt secundum speciem, ab iisdem fiunt causis, si similia, similes habent causas, & principia. Acutus vnguis indicat tendinem esse temperamenti biliosi, & audacem in aggrediendis actionibus virû, qui tamen facile fatigetur, & desistat, hæc enim natura est flammæ, quæ cum maxime sit actiua, minima aura modo ad hanc, modo ad oppositam conuoluitur partem. Nec stare potest, quoniam eius esse consistit in fieri, & eatenus est, quatenus fit, & cum facta est, non existit amplius flamma. Inter acutos, & aptos ad feriendum, & ad infligenda vulnera in hominum ora, quidam fragiles sunt, & finduntur, quoniam à sicciore ortum habent materia, minus fragiles, qui minus sicci, in his quidam suam à sanguine, alij à pituita trahunt humiditatem, qua flecti, non frangi possunt, obtusi opposita ratione se habent, & frigidum, & humidum esse docent tendinem, cuius causa tales existunt vngues; Asperi, & scabiosi fiunt si tendinis erit similis dispositio, nempe si in superficie præualuerit terrestris quædam siccitas; quæ facit vnguem ita scabrosam, vt tangenti omnino videntur similis ligno male dolato, aut nunc primum à ferra diuiso, quod si læuigatus apparet, acceptum id referet à bile, cum pituita, aut cum sanguine iuncta; erit sanguis si rubeum referet vnguis colorem, si eburneum pituita.

Quæ vero vnguibus, & maculis ex loco differentia accidunt ex se satis clare possunt cognosci. Nam quæ sunt manus, & digitorum sinistrae passiones, & accidentia sunt tenuiora, & debiliora, quam quæ dextræ; minus enim mouetur sinistra quare, & minus habet caloris, & ideo minus attrahit nutrimenti, quam dextra, & quod minimi digiti sint, & mi-

& minores vngues, pollicis maiores, causa est quoniam maior, & robustior est pollicis tendo quã auricularis, & teretes digiti orbicularem habent figuram vnguium, & si formam quadrangulam sortiti sunt digiti, propter eandem causam quadrangularem induent vngues formam, locatum enim quod in loco generatur, & à loco natum est, conseruari, loci formam, & figuram repræsentare non est absurdum.

De Significationibus Vnguium. Cap. I X.

HAtenus vngues, & earum maculas contemplantes quid sint, & quales, prout sunt effectus tendinum, declarare tentauimus; & eorum causas, ac differentias attulimus. Nunc easdem maculas, & vngues, vt signa aggrediamur, quid nempe significant, cum tales, & tantę, & in tali loco, aut digito existent. Et quoniam apud Physicam aliud significant, aliud apud Chyromantem, vt differentia harum cognitionum, & alterius vanitas appareat. Quid talis vnguis, aut passio, aut macula, apud vtrumque portendat breuissime afferre conabor.

Quod rationabiliter vngues aliquid significant, sic potest persuaderi, vngues sunt extrema tendinum, hi constant ex neruis, & ligamētis nerui principium sumunt à cerebro. Hoc membrum mōtus, & sensus causa est, & origo, si autem omnia orta naturam suorum principiorum repræsentant, poterimus igitur ex vnguibus temperamentum cerebri cognoscere, & ex hac cognitione sensuum determinare dispositionem, & motus localis, & voluntarij passiones, & differentias, concurrunt ligamenta ad cōstitutionem tendinum, & hæc ab ossibus originem trahunt, ossa totius corporis sunt fundamentum, & eorum temperies roboris, aut debilitatis causa est præcipua, ergo hæc etiam qualitas per vngues manifestabitur, sic igitur differentias sensuum, & localis motus, per cerebri temperiem venabimur, & hanc per neruos neruorumque extrema quæ sunt vngues scrutabi-

201

B mur;